

signa doloris, saltemque post advocacionem sacerdotis, obmutuerint, vult impendi beneficium pœnitentiæ, id est absolutionis, qua reconciliantur cum Deo. Quam frivola vero est illa interpretatio: S. Leo proponit agere de statu pœnitentium; ergo non agit nisi de publicis peccatoribus egentibus reconciliatione ceremoniali! Quasi verò status pœnitentium non possit sonare statum eorum qui captant beneficium pœnitentiæ sacramentalis per absolutionem sacerdotis. De his quippe consultus erat S. Leo, cum ob subitam oppressionem non possunt per seipsos aperire presenti sacerdoti noxas suas. Quin etiam, quoties apud Patres et Concilia agitur de danda pœnitentiâ, sermonem esse de absolutione sacramentali fuse tradit Joannes Bagotius, disput. 2 de Pœn., cap. 12.

Ad eam non erat præmittenda reconciliatio aliqua. — Minus vero se peritum antiquorum Ecclesiæ rituum prodit Alvarez, cum assumit præmittendam fuisse reconciliationem aliquam, ut peccator publicus in ordinem pœnitentium publicorum allegeretur. Id enim necessarium non erat, nisi peccatum ejusmodi esset ut haberet annexam censuram ipso facto, qualia non erant omnia publica peccata. Imo series pœnitentiæ ista erat, ut cum Hesselio, in Opusculo de facto Nectarii, et Mariano Victorio, tract. de Confessione, tradit Pamelius ad S. Cypriani librum de Lapsis, num. 14: præmissis a reo actibus externis doloris, et expressione voluntatis confitendi, obibatur primum privata confessio apud sacerdotem; hanc sequebatur pœnitentiâ sive absolutio sacramentalis, post quam exomologesis referta omni imbonitate et demissione pœnitentis, ut Tertullianus late describit, libr. de Pœnit., cap. 9 et 10. Post hæc adhibebatur manus impositio et exsolutio publica ceremonialis, tumque patebat accessus ad Eucharistiam. Itaque si æger obmutescens fuisset admittendus ad pœnitentiâ publicam, et aggregandus statui eorum facinorosorum qui solemnî pœnitentiâ defungebantur, absolutione sacramentali prius fuisset donandus, atque ita adversarius in suamet responsione incidit in salebras.

Sed illa non tenuis est ejus æquivocatio, quia reconciliationem a D. Leone memoratam vult de reconciliatione cum Ecclesia intelligi, cum tamen S. Leo, quandoquidem indistincte et sine restrictione loquitur de omnibus subito oppressis, censendus sit agere de reconciliatione cum Deo per absolutionem, post ac-

tus pœnitentiæ sive doloris de peccatis et expressionis eorum, a sacerdote collatam; alioqui per eam reconciliationem cum Ecclesia, oppressi, de quibus agit, non potuissent admitti ad usum Eucharistiæ. Coguntur ergo adversarii, juxta suam doctrinam, et canonum obtorsionem, admittere Eucharistiam fuisse collatam ægris quos constaret fuisse peccatores, nulla præmissa absolutione sacramentali. At quamvis Coquetius, cap. 7 dissertationis, num. 35, dicat nullam unquam fuisse in Ecclesia rationem dubitandi, quin danda esset Eucharistia ægris oppressis qui confiteri et absolvi nequirent, tamen ex Concilio Tridentino, sess. 14, cap. 7, certum est ante Eucharistiæ sumptionem semper fuisse necessariam sui probationem, id est, confessionem et absolutionem sacramentalem, si haberi quoquomodo posset, præsertim si de perfecta contritione prævia non constaret; neque unquam fuisse in praxi Ecclesiæ ut homo sacramentaliter non absolutus divinæ Eucharistiæ participaret (nisi perfecta contritio in eventu necessitatis, sub onere suo tempore absolutionem consequendi, suppleret ejus defectum), demonstrat accurate in disputationibus de pœnitentiâ veteri Joannes Bagotius. Impingit ergo Alvarez, admittens inexpiatos ad usum Eucharistiæ. Quamquam quia nomen *reconciliationis* aliquando sumitur pro reconciliatione cum Ecclesia (ut nominatim videre est apud S. Innocentium I, epistol. 3, quæ est ad Exuperium, cap. 2), addo, etiamsi *reconciliatio* apud S. Leonem ita sumeretur, tamen ad rem nostram satis esse quod S. Leo *pœnitentiâ* quoque meminerit. Nam *pœnitentiâ* apud Patres et Concilia sonare sacramentum pœnitentiæ, et inauditum esse in jure pœnitentiâ sumi pro absolutione excommunicati, recte confirmat Zambranus, cap. 4, dub. 2, sect. 3, reconciliationem vero, uti nunc quoque asolet, de levium culparum emundatione sacramentali, in decretis illis accipiens.

Quod item Alvarez, per *communione sacramentorum*, apud S. Leonem aliud intelligit quam sumptionem divini cibi et participationem mensæ Eucharistiæ, hospitem illum in lectione Patrum videtur ostendere. Nam ut per *sacramenta* numero multitudinis designetur Eucharistia, adeo frequens est, et ex operibus SS. Ambrosii atque Gregorii de sacramentis adeo perspicuum, ut pigeat tantum Magistrum ablegare ad notata ab Alexandro, Alvaro, Bellarmino et aliis vocem illam enucleantibus. Tandem cautio S. Leonis et Con-

cilii Toletani circa conciliatos in ægritudine, et postea convalescentes, non spectat hæreticos, qui nisi ejurarint publice hæresim, non sint ad pœnitentiâ publicam admittendi; nihil ista ad scopum S. Leonis et illius Concilii; sed spectat quoscumque in ægritudine absolutos, qui, si in sanitate fuissent absoluti, subjacuisent certæ cuiquam multæ, juxta canones. Quamvis enim ob periculum mortis indultum eis esset ut absolverentur sacramentaliter, tamen, posito quod convalescerent, ne eorum conciliatio fraudi esset Ecclesiasticæ disciplinæ, et subnervaretur salubris rigor infrænans peccatores, merito cavendum fuit ut, si qui tali cuiquam multæ ob peccata erant obnoxii, quam præ ægritudine non potuissent tunc exolvere, eam subirent valetudine instaurata. De toto hoc negotio accurate Joannes Bagotius, dissertat. secunda de Pœnitentiâ.

Nedum exhaustæ sunt omnes adversariorum tricæ circa decreta proposita. Canus enim, relect. de Pœnit., part. 5, pag. mihi 87, aliud effugium captavit, dicens agi quidem in decretis propositis de absolutione a peccatis; sed quoad eos duntaxat pœnitentes qui prius explicite peccata sua omnia confessi fuissent sacerdoti, initio Quadragesimæ, non tamen adhuc accepissent absolutionem sacramentalem, differri solitam usque ad tempus sub Pascha, hoc est ad feriam quintam in cœna Domini. Eum quippe usum olim in Ecclesia viguisse tradit explicatissime Concilium Agathense, canon. 9, breviusque idem habetur in Capitularibus, libr. 7, cap. 143. Et durasse eum morem tempore S. Thom. constat ex ejus æquali, Gulielmo Arverno, Episcopo Parisiensi, qui usum illum in sua Diœcesi non omitti mandat numero 9 Statutorum synodali. Videndi qui de eo ritu disserunt, Marianus Victorius, tract. de Confess., lib. 1, cap. 16; et Filesacus, Opuscul. de Quadragesima Christiana, capite 15. In hoc ergo ritu, foveam reperit ericius. Hinc, inquam, Canus, declinanda abs se censuit decreta allegata, si diceret absolutionem sacramentalem, de qua apertissime in decretis illis agitur, non mandari conferendam, nisi iis qui in capite jejunii distincte et sigillatim de peccatis apud sacerdotem confessi essent, necdum tamen accepissent absolutionis beneficium, sed tantum accepturi eam essent in cœna Domini.

Hæc Cani evasio jam præclusa est. Nam decretum Concilii Agathensis, et quod habetur in Capitularibus atque in Statutis Synoda-

libus Parisiensibus, spectant tantum peccatores obeuntes publicam pœnitentiâ. Atqui jam ostensum est decreta allegata agere absolute de quibusvis peccatoribus, si subito obmutescerent post expressa doloris signa, saltemque expetitâ externo signo absolutionem per sacerdotem. Igitur Canus voluntarie divinat decreta adeo universalialia, et nullatenus restricta, pertinere ad eos duntaxat qui prius confessi fuissent initio Quadragesimæ, cum manifeste complectantur omnes peccatores, quamvis prius non confessos initio Quadragesimæ; sicut etiam D. Augustinus, homil. 41 ex 50, et libr. 1 de Adulter. conjug., cap. ultim., in hoc negotium incidens, comprehendit omnes peccatores qui signa pœnitentiæ præmiserint et voluntatem confitendi expresserint. Oporteret præterea eundem esse sacerdotem absolventem in cœna Domini, qui ineunte Quadragesima excepisset confessiones. At canones allegati non restringunt hanc absolutionem ad eundem sacerdotem, ut Canus gratis facit. Quid quod hæc Cani responsio supponit, eventum ægri obmutescens ante adventum sacerdotis, non contingere nisi in Quadragesima, cum tamen idem possit accidere per reliquum annum, de quo tempore fingi non potest quod præcesserit explicita et plena peccatorum confessio apud sacerdotem. Atque ita non possunt defugere adversarii (si salva volunt decreta Conciliaria et Pontificia allegata) quin fateantur in eventu ægri subito obmutescens, perhibentibus pœnitentiæ ejus testimonium viris fide dignis qui affuerint, sacramentalem expositionem peccatorum posse fieri apud sacerdotem absentem, directo ad eum nuncio vel litteris, ut habet sententia pro qua satagimus. Decreta ergo Conciliorum atque Pontificum quibus sententiam illam munivimus, non patent effugiis novorum Thomistarum, quæ validissime præclusimus.

Quandoquidem vero hactenus ex Pontificum oraculis argumentati sumus, in hac meta non est prætereundum testimonium Clementis VIII, cui Pontifici Thomistas auctores ac incentores fuisse decreti contra confessionem per litteras, Alvarez, Nugnus, Coquetius, Fay, et passim cæteri asseclæ triumphantis profitentur. At Clemens VIII, interrogatus de moribundo, qui, post præmissa pœnitentiæ signa, saltemque postquam jussit advocari sacerdotem, subito obmutuit, essetne absolvendus, respondisse fertur se hunc

eventum a S. Leone propositum non intendisse in decreto suo comprehendere, et talem moribundum omnino debere absolvi a sacerdote, cum venerit; seque, si occasio se daret, absolutionem impensurum. Ita respondisse Clementem testati sunt Cardin. Bellarminus, et Archiepiscopus Armacanus, Petrus Lombardus, quorum uterque id testatus est Francisc. Flerontino et Leonardo Lessio, Societatis Jesu, cum Romæ essent, et scripto etiam manu sua obsignato id firmavit. Posteaque Armacanus Antistes simile scriptum, quo de responso illo Clementis testabatur, misit Lovanium ad aliquos illius Academiæ Doctores. Exhibet illud scriptum verbatim Ægid. Coninc., lib. de Absol. morib., sub finem.

Hunc clavum, impacto alio clavo, trudit Franciscus Hyacinth. Coquetius, dissert. de Confessione per litteras, c. 7, n. 36. Respondens enim ad argumentum tertium, propositum cap. 2, quod ex hoc Clementis responso ducebatur, ait quam modestissime, *optare se vel probabilem conjecturam, quod hujusmodi responsum a Clemente produisset*, et quamvis nolit quidquam detractum fidei Cardinal. Bellarmin. et Archiepiscopi Armacani, tamen cum de eorum testificatione non constet, non putare se plenam fidem adhibendam Flerontino ac Lessio, atque adeo Jesuitis qui facile similia obijciunt ac scribunt. Nec contentus hunc colaphum impingere viris bonis, subdit forte Clementem interrogatum esse de eo ægro non prorsus oppresso, qui, quamvis non possit distincte omnia sua peccata exponere, vel etiam ullius peccati speciem in particulari assignare, tamen coram sacerdote ostendit signa contritionis, quibus se peccatorem communi saltem ratione profitetur, seque absolvi velle, præsens præsentis sacerdoti significat. Quamvis enim id quoque esse a Pontifice responsum non admittit, et talem doctrinam veritate niti non arbitratur, tamen tolerabilior Coquetio visa est quam ea quam executimus, quod, scilicet, expressio peccatorum absentia facta, per manifestatam confitendi voluntatem, sit confessio sacramentalis. Quidquid vero demum responderit Clemens, ait Coquetius eum non respondisse ex cathedra, sed esse responsionem privatam, ab eo tanquam particulari Doctore traditam quæstioni non satis explicatæ.

Quantus hic micet splendor religiosæ modestiæ, mitto quærere vel urgere. Nam quamvis utcumque hic scriptor declinare videatur vo-

luisse invidiam impactæ Bellarmino et Antistiti Armacano mentitionis, tamen non obscure eorum fidem lacescit, cum nixam eorum testimoniis narrationem, et ab Armacano pluribus chirographis firmatam, ne probabili quidem conjectura niti affirmat. Deinde Flerontinus ac Lessius ejusmodi homines fuerunt, ut, vel in juratis et vadimonio defectis, credi possint aut etiam debeant. Flerontinum, et religiosissima vitæ per annos plurimos conformatione, et obitis gravissimis muneribus clarum, mendacitatis jure esse notatum, præsertim in re nota, et quam facillimum erat revincere, nulla vel probabilis conjectura suadet admittere. Lessius, scriptor toto orbe terrarum judicio, pelluciditate et accurate celeberrimus, iis autem moribus homo, quorum candorem nulla dehonestavit invidia, ut mentiri voluerit (quantumcumque suadere id nitatur F. Coquetius) non persuasor, non credo. Jesuitas vero indiscriminatum, cum Cretenses non sint et pigris ventribus, mendaces esse, et in suam causam fabulas et mendacia verbo ac scripto spargere, quod innuit vel potius diserte ait Coquetius, ut crassum ac pingue mendacium aversor, et nulla fide dignum pronuntio. Verisimilius hæc labe iis affricaretur quos sæpe sæpius mendacitatis revictos constat, tam perspicue ut aliqui eam vivicomburis expiaverint, uti Bernenses apud Surium, in Historia anni 1509, alii proscriptionibus librorum jussu Pontificum factis muletati sint, ut hic ipse cum quo ago Hyacinthus Coquetius, qui, adhibito in falsi testem Urbano VIII, vulgavit Fratris de Lemos miracula, id est conficta joculariter (ut postea rescitum est) de Lemosio, et superstite et de mortuo fabulamenta crassa; alii procul ablegata, pridem occæpta canonisationis causa nitentes, jamque celo illatas animas, ad muletæ figmentis meritissimo irrogatæ participium traxerint. Testis Pius V, vitæ sanctissimæ Pontifex, cujus canonisationem, confictæ de eo fabulæ, per judices cognitores deprehensæ, jam aliquandiu sunt remorata, quamvis absque ullis figmentis satis per se niteret Pius, possitque haberi canonisatione dignissimus. Talibus propolis fabularum, verisimilius ac justius affricaretur mendacitas quam Jesuitis fingendi rudibus, et morum antiquorum hominibus. Sed leve sit Jesuitis, et quidem omnibus, tale probrum inussisse. Extrema ex Coquetio adducta clausula, velut Scorpii cauda, ipsum quoque Pontificem ferit; non quod di-

cat Coquetius Clementem errasse ut privatam personam sic respondendo, sed quod ad quæstionem non satis explicatam respondisse dicat. At hoc stolidi hominis est et inconsiderati, sententiam de re non satis explicata præcipitare. Fuerit enim (si ita lubet) nulla interrogantium culpa, quod sibi consulentes et responsum quale volebant captantes, quæstionem haud satis explicite proposuerint; fuerat tamen respondentis, dum lux liquida affulgeret, hærerere, nec præceptum et inconsideratum responsum edere. Itaque, judice Fratris Coquetio, Clemens VIII, aliter respondendo quam ipsi Coquetio videatur, stolidè, præcipitanter et inconsiderate respondit. Deo gratias.

CAPUT VI.

RITUALE ROMANUM PRO EADEM SENTENTIA.

Seorsim profero decretum Pontificium Rituali Romano insertum, quia est de eo peculiaris ratio, et adversarii circa illud sententiis seissi sunt, bellaque ac lites circa hoc effluerunt.

Rituale ergo Romanum, quo præscribitur formula administrandi sacramenta, et alios præcipuos Ecclesiæ ritus exercendi, tit. de Sacramento penitentiae, § *Ordo ministrandi sacramentum penitentiae*, vers. *Quod si inter, agens de absolutione ægro impendenda, sic præscribit: Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela ægrum deficiat, nutibus et signis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata penitentis cognoscere; quibus utcumque, vel in genere, vel in specie cognitis; vel etiam si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est*. Habentur ista non modo in anterioribus Ritualibus, sive Romanæ, sive aliarum Ecclesiarum, puta in Pastoralibus Leonis X, et in simili opere Cardin. Ludovisii, postea Gregor. XV, quod confecit pro Ecclesia Bononiensi, cui tum præerat, sed etiam in Romano rituali per Paulum V recognito, et approbato 17 junii 1614. Quod enim varia variis locis ritualia haberentur, contestatur Pontifex visum sibi esse e re Ecclesiæ, *ut volumen unum de ritibus, cum in aliis Ecclesiasticis functionibus, tum præsertim in Sacramentorum administratione servandis, ab iis qui curam animarum gerunt, Apostolica auctoritate prodiret; ad cujus voluminis præscriptum, in tanta Ritualium multitudine, sua illi minis-*

teria tanquam ad publicam et obsignatam normam peragerent, unoque ac, fidei ductu, inoffenso pede ambularent cum consensu. Exscripsi verba Pontificii Diplomatis, quo Paulus testatur, *re mature considerata, ritus receptos et approbatos Catholicæ Ecclesiæ, in illud volumen esse digestos*: hortaturque ad extremum omnes Antistites, ad curandum, *ut in posterum tanquam Ecclesiæ Romanæ filii, ejusdem Ecclesiæ, omnium matris et Magistræ, auctoritate constituto rituali in sacris functionibus utantur; et in re tanti momenti, quæ Catholicæ Ecclesiæ, et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent*. Non potuit Pontifex gravioribus verbis commendare Rituale quod omnibus Ecclesiis proponebat, ut ad illius præscriptum inoffenso pede sacramenta administrarent, et alios ritus sacros obirent; certi se Catholicæ Ecclesiæ inhærere, et probatis ab ea antiquis usibus insistere, si ex præscripto hujus Ritualis se gererent. Cum ergo in Rituali isto Romano, tam conceptis verbis tradatur, ægrum, si ante inchoatam sacerdoti confessionem obmutescat, quamvis nullum ipse peccatum sacerdoti adveniendi distincte exponat, vel etiam nulla actualia indicia præsentis contritionis exhibeat, tamen absolvendum esse, si saltem per alios ostenderit signa voluntatis confitendi, magnum argumentum inde petitur pro sententia cui confirmandæ insistimus.

Urgebat hoc argumentum doctus Theologus Carmelitanus, Compluti sub annum 1621, cum adversus conclusionem contrariam a Theologo Ordinis Prædicatorum propositam ageret. Respondens, cum alia elabendi via non suppeteret, contempsit Ritualis Romani auctoritatem. Lis inde mota Romam usque pervenit. Qui causam respondentis Romæ susceperant, non ausi in oculis Pontificis despuere Rituale, ut factum in Hispania fuerat, aliam viam iniverunt, ad prætendendum telo, quod vibrabatur, umbonem idoneum. Et primum quidem inficiati sunt diploma Pontificium, Rituali jussu Pauli V recognito præfixum, esse genuinum, causantes subreptionem. Sed cum superstes esset Scipio Cobellutius, Cardin. Sanctæ Susannæ, qui diploma ipsemet confecerat, isque diploma omnino esse genuinum confirmaret, et frustra ostendi subreptionem testaretur, alia declinandi via captanda fuit. Dixerunt itaque in Rituali typis eusum irrepsisse mendum typographyum; et ubi legitur, *absolvendus est*, legendum fuisse, *absolvendus non est*. Verum hæc